Quelle: https://manuscripta.at/?ID=31239
Copyright: CC BY 4.0 <img src="https://manuscripta.at/styles/icon_cc_by.png"> Kontakt: Stift Stams   <img src="https://manuscripta.at/styles/universitaets-landesbibliothek-tirol.png" height="48">   <img src="https://manuscripta.at/styles/BMKOES_Logo.svg" height="48">   <img src="https://manuscripta.at/styles/EUnion_POS1.jpg" height="48">

modumque: Precipiunt enim quibus malis et quibus artibus res familiaris querenda sit: Quia vident male queri solere: Sed huiusmodi virtus non est proposita sapienti: Nec enim virtus est opes querere: quarum neque inventionem possessio in nostra potestate est: Itaque et questu et obtentu faciliores sunt malis quam bonis. Non potest ergo virtus esse in his rebus querendis: in quarum contemptu vis ac ratio virtutis apparet: ne et ad ea ipsa transfugiet: que magno et excelso animo calcare ac proterere gestit: neque fas est animam celestibus intentam bonis: ut hec fragilia sibi compararet: ab immortalibus suis opibus avocari: Sed potissimum in his rebus compendiis virtutis ratio consistit: quas nobis nec homo ullus. nec mors ipsa possit auferre. Cum hec ita se habeant: illud: quod sequitur. verum est. Virtus divitiis pretium persolvere posse: Qui versus fere idem significat: quod primi duo. Sed neque ipse neque quisquam philosophorum scire potuit pretium ipsum. vel quale. vel quod sit: Id enim poeta et illi omnes: quos secutus est: putaverunt recte opibus uti: hoc est frugi esse: non instruere convivia sumptuose non largiri temere non effundere in res supervacuas aut turpes rem familiarem: Dicet aliquis fortasse. quid tu: negas hanc esse virtutem. non equidem nego. Contraria enim videar probare: si negem: sed veram nego: Quia non illa celestis: sed tota terrena est: Quoniam quidem nihil efficit: nisi quod remaneat in terra. Quid sit autem recte opibus uti: et quis sit ex divitiis fructus petendus declarabo aptius: cum de pietatis officio loqui cepero: Iam cetera que sequuntur. nullo modo vera sunt: Nam improbus inimicicias indicere aut bonorum defensiones suscipere: potest cum malis esse commune. Quidam enim probitate ficta sibi ad potentiam muniunt. faciuntque multa que boni solent: Eo quidem promptius: quod fallendi gratia faciunt: Utinam tam facile esset prestare: quam facile est simulare bonitatem. Sed cum ceperint esse propositi ac voti sui compotes et summum potentie sue gradum ceperint: tum vero simulatione deposita mores suos detegunt: Rapiunt omnia et violant et vexant eosque ipsos bonos: quorum causas susceperant insequuntur: et gradus per quos ascenderunt amputant: ne quis illos contra ipsos possit imitari: Verumtamen putemus hoc officium non nisi boni esse: ut bonos defendat: Ad id suscipere facile est implere difficile Quia cum te certamini congressionique commiseris in arbitrio dei non sua posita victoria est: et plerumque improbi et numero et conspiratione sunt potentiores: quam boni: ut ad eos superandos non tam virtus sit: quam felicitas necessaria An aliquis ignorat quam aliquotiens melior iustiorque pars victa est. Hinc enim semper dominationes acerbe pro civibus extiterunt.